



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consensus Veteris Et Moderni Papatus**

**Reck, Johann von der  
Monasterii Westphaliæ, 1722**

XVIII. De Confessione & absolutione Sacerdotali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)



deam, ne temerè corpus intendat jejunio, nec inutiliter & incassum sanctæ dies quadragesimæ transcurrant. Et quid dico, sanctæ dies quadragesimæ? cùm ne unum quidem diem toto vitæ nostræ tempore nos transgigere liceat [si fieri potest] quo non aliquid spiritualis lucri nobis reponamus, vel per orationem, vel per confessionem, vel per beneficentiam, vel per aliam spiritualem quampiam actionem.

## X V I I I.

### De Confessione & absolutione Sacerdotali.

*S. Clemens Romanus Epist. 1.* Quod si fortè alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his, quæ superiùs memoravimus, latenter irrepsit; non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quò possit integrâ fide, & ope-



ribus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire.

*Lactantius l. 4. Divinarum institut. c. 30. in fine* : Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei; quò si quis non intraverit, vel à quo si quis exiverit, à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri : agitur enim de vita & salute; cui nisi cautè & diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quique cætus hæreticorum, se potissimum christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram, in qua est religio, NB confessio, & pœnitentia: quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.

*S. Basilius in questionibus, sive regulis brevioribus, regula 229.* Omni-  
no



no in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temerè homines aperiunt; sed iis tantummodo, qui rationem, quâ ea curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare.

*Item regula 288.* Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum.

*S. Augustinus lib. 2. de visitatione infirmorum c. 4.* Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo [cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia] sua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubescunt, sive dedignantur ostendere se Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere, per legislatorem constituit Dominus. Sed nolo, ut ipsâ decipiari opinione, quatenus confundaris confiteri co-



ram Domini Vicario , tabescens præ rubore , vel cervicosus præ indignatione : nam ipsius humiliter subeundum est iudicium , quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem , & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem.

*Item homil. 49.* Agite poenitentiam, qualis agitur in Ecclesiâ, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat; occultè ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causâ dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo? Ergo sine causâ sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium Dei? frustramus verba Christi?

## X I X.

### De signo Sanctæ Crucis.

*Tertullianus de coronâ militis.* Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum,  
ad